

Eutitius. Modo martirii^{a)} tempus non est, quia vero nos omnes sumus filii ecclesie, de maternis stipendiis nutriri et foveri habemus.

Theophilus. Filii ecclesie non sunt, ut superius quoque dictum est, qui eam contra leges divinas invadunt, quin immo^{b)} atrociores inimici manifestissimis hostibus sunt, qui intra eam positi lacerare et disrumpere eam non desistunt. Audi vero quid Pius Romanę sedis episcopus in epistola 'Italicis' fratribus 'directa' de talibus dicat¹⁾: *Ad sedem apostolicam perlatum est, quod sint inter vos contentiones^{c)} et emulationes; et predia divinis usibus tradita quidam humanis applicant usibus et Domino cui tradita sunt ea subtrahunt, ut suis usibus inserviant. Quapropter ab omnibus illius usurpationis contumelia depellenda est, ne predia secretorum celestium indicata a quibusdam irrudentibus vexentur. Quod si quis presumpserit, sacrilegus habeatur et ut sacrilegus iudicetur. Ipsos autem, qui hoc agunt, clericos et Domini sacerdotes persequi eosque infamare audivimus, ut malum super malum addant^{d)} et deteriores fiant, non intelligentes, quod ecclesia Dei in sacerdotibus consistat²⁾ et crescit in templum Dei; et sicut qui ecclesiam Dei vastat, eius predia et donaria et expoliat et invadit, fit^{e)} sacrilegus, sic et ille, qui eius sacerdotes insequitur, sacrilegii reus existit et sacrilegus iudicatur. Et post pauca³⁾: Non est gravius peccatum fornicatio quam sacrilegium, et sicut maius peccatum est quod in Deum committitur, quam quod in hominem, sic gravius est sacrilegium⁴⁾ quam fornicari.*

Eutitius. Probatum est igitur res ecclesie non licere episcopo vel cuilibet ita alienari, ut revocari non possint⁴⁾. Restat ergo^{g)} qualiter revocari debeant, sequens sermo declare: Forte enim hi, qui res ecclesie susceperunt iniuste, non iusticiam^{b)} doni, sed nudum donum defendere molientur. Defensio autem, quę iusticiam^{h)} declinat, iniusta est; si autem defensio, quę iusticiam^{h)} declinat, viribus humanis sit fulta, episcopus autem, qui iusticiam^{h)} defendit et res alienatas repetere temptatⁱ⁾, nec regio neque suorum, qui esse debuerant, fulciatur auxilio⁵⁾, quid ei faciendum erit?

a) martyrii C. b) quinimo C. c) consentiones C. d) agant B. e) sit C. f) agere ergänzte D (nach Ps.-Isidor). g) ut ergänzte D. h) iustitiam C. i) tentat C.

¹⁾ Epist. spur. II, 7. 8, Decretal. Pseudoisid. ed. Hinschius S. 118, 119 (D).

²⁾ Zur Lesart consistat vgl. Hinschius S. 118 N. 20.

³⁾ Epist. spur. II, 9 S. 119 (D).

⁴⁾ Zur Sache Lesne, Hist. de la propriété 2, 3, 113.

⁵⁾ Lesne a. a. O. 2, 3, 113 Anm. 2.